(9

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SAUNDERS MUSCHET,

Scotus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR

MDCCCXXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

JOANNI GRAHAM, ARMIGERO,

DE MIEKLEWOOD,

HOCCE TENTAMEN,

CUM SENSU OBSERVANTIAE,

ET CARITATIS,

OFFERT

AUCTOR.

VIRO GENEROSO

ROBERTO GRAHAM, M. D.

PROFESSORI SCIENTIAE BOTANICAE,

IN ACADEMIA EDINENSI,

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

D. D. D. QUE

AUCTOR.

PATRI SUO CARISSIMO

PATRICIO MUSCHET, ARMIGERO,

HAS PRIMITIAS STUDIORUM,

CUM SUMMA PIETATE

CONSECRAT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.

AUCTORE JOANNE SAUNDERS MUSCHET.

DE HISTORIA MORBI.

VERBUM Apoplexia ex verbis duobus Graecis componitur, videlicet, *απο* procul, et *πλεσσω* contundere, nam aeger saepe subito occidit, sensu motuque deprivatus. De hoc morbo medici antiqui scripserunt, et ratio medendi eorum in rebus quibusdam, haud absimilis fuit illi, qua in his temporibus, curationem efficere nitimur. Definitiones sunt variae. Celeberrimus Doctor CULLEN haec verba habet.*

* Synopsis Nosol. Method. Vol. II. p. 182.

" Motus voluntarii fere omnes imminuti cum
" sopore plus minusve profundo, superstite
" motu cordis et arteriarum." In species quoque novem dividit, nempe.

" 1. Apoplexia sanguinea, cum signis ple-
" thorae universalis, et praecipue capitis.

" 2. Apoplexia serosa, in corpore, plerum-
" que senum, leuco-phlegmatico.

" 3. Apoplexia hydrocephalica, paulatim
" adoriens; infantes et impuberes, primum
" lassitudine, febricula et dolore capitis, dein
" pulsu tardiore, pupillae dilatatione, et som-
" nolentia afficiens.

" 4. Apoplexia atrabiliaria, in corpore me-
" lancholico.

" 5. Apoplexia traumatica, a vi externa
" mechanica, capiti illata.

" 6. Apoplexia venenata, a potentiis sedantibus interne vel externe adhibitis.

"7. Apoplexia mentalis, a pathemate mentis.

" 8. Apoplexia cataleptica musculis, sub
" artuum a vi externa motu, contractilibus.

" 9. Apoplexia suffocata, a potentia externa
" suffocata, a potentia externa suffocante."

Alii tamen putant, ut rectius in species duas nempe sanguineam et serosam distinguatur.

Medici quidam affirmant apoplexiam non existere sine stertore respirationis. BOERHAAVE gravitatem morbi sono stertoris aestimat.* Alii dicunt hoc symptoma semper adesse haud necessarium.

Doctor COOKE hanc definitionem proponit.
" It is a disease in which the animal functions
" are suspended, while the vital and natural
" functions continue; respiration being gene-

* COOKE on Nervous Diseases, Vol. I. p. 171.

rally laborious, and frequently attended with "stertor."* Nulla conditio vitae, nulla aetas, et nullus sexus expers apoplexiae. Homo, qui luxurias omnes, quas ingenium humanum invenire potest, possidet; ille qui a primo sole ad solis occasum manius laborat; juvenis qui omni elegantia adolescentiae ornatur; et senex, qui debilitate senectutis proclinatur: omnes obnoxii ad paroxysmum apoplexiae. Homines invadit qui maxime valent, et interdum symptomatis infaustis nullis praeeuntibus. Morbus horribilis est, nam vel morte terminetur, vel paralysi, epilepsia, immemoria, caligine, surditate, et aberratione animi, cui nullae res adversae, unquam comparari possint. Temporibus hibernis saepius occurrit quam aliis mensibus anni.

Interdum haec symptomata paroxysmo praeeunt, nempe, vertigo, dolor capitis, stupor, tinnitus aurium, defectus visus, spasmi, inspi-

---

* Cooke on Nervous Diseases, Vol. I. p. 166.

ratio plena, vultus rubicundus, immemoria, sermo confusus, epistaxis, et incubus. Avicenna, gastrodyniam ardentem, flatum, somno dentibus frendentibus, et urinam nigram enumerat.* Forestes haec verba habet, certe sunt insignia ; loquitur de accessione morbi. " Concidit subito et repente magnaque ruina in " terram prolapsus est : ad nullas voces, ad " nullas inclamationes, nec ad quasvis collisi- " ones expergiscebatur ; tam gravis torpor, " eum utpote attonitum, tenebat ; quem nul- " lis stimulis discutere poterant adstantes." † Atque exinde morbus attonitus saepe appellatur. Accessio paroxysmi formas varias assumit, in species tres Doctore ABERCROMBIE dividitur.

In prima specie, aeger subito concidit, motu sensuque deprivatus ; similis homini in somno profundo : vultus rubescit, spiritus cum stertore perficitur, pulsus plenus, inter-

---

* Vide COOKE, Vol. I. p. 168.

† ———— Vol. I. p. 169.

dum tardior quam sano corpore, in casibus quibusdam convulsiones adsunt. In hac conditione mors sequitur, vel paralysis unius lateris, vel aeger iterum ad secundam valetudinem redit.

In secunda specie, dolor vehemens in capite adest, vultus pallidus, nausea et vomitus sequuntur; et frequenter, sed non semper, syncope supervenit, vel potius status similis syncope. Interdum convulsiones leves succedunt. Aliquando non concidit, et oblivia pro tempore brevi invadunt. In casibus ambobus, aegrotans cito bene se habet, sed dolor capitis restat. Postea in coma illabitur e quo nunquam expergiscitur.

In tertia specie, hemiplegia subito adoritur, lingua non potest verba exprimere, stupor abest, vel si ad primam accessionem adsit, non longe restat. Signis conatur voluntatem explicare. Multis modis terminatur. In paralysin, membrorum inferiorum, vel linguae; in sanitatem; in apoplexiam desinit. Nonnul-

lis disputandum est, tamen an apoplexia serosa morbus sit. Doctor ABERCROMBIE ait, "I "object to the term serous apoplexy entire-"ly, I think it extremely doubtful whether "there really exists such a disease."* SAUVAGE quoque opinionem haud absimilem sustinet; ita loquitur, "Ex eo quod in cadavere "sinus cerebri, aqua turgidi reperiantur, non "sequitur apoplexiam ab illo sero fuisse in-"ductam."†

SECTIO CADAVERUM.

EFFECTUS morbi aliquando non valde apparent in capite. Dura mater adhaesionibus insolitis cum cranio connectitur. Tunica arachnoidea naturaliter pellucida adeo mutatur, ut radios lucis non transmittat. Pia mater, fabrica cujus valde vasculosa, plena sanguine interdum reperitur; colorem rubrum

* Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. XIV. p. 585.

† Nosol. Methodic. p. 848.

habet. In casibus quibusdam, serum intra tunicam arachnoideam, et piam matrem secernitur, cum quo sanguis et fibrina interdum miscentur. Substantia cerebri durior, et vasa majora sunt, quam in sanitate. Ventriculi serum et coagula sanguinis fere continent. Sanguis frequenter sed non semper apparet, non in illa parte cranii quae in eodem lateri corporis quo paralysis adest, sed in hemisphaerio altero. In apoplexia serosa, (si hic morbus existat) post mortem materiam cerebri molliorem esse, conditione naturali, affirmant: arteriae fere sine sanguine, et effusio aquosa adsit. "In some cases of serous apo-"plexy, venous turgescence, as well as effu-"sion of serum, has been discovered; and in "others there were satisfactory proofs of in-"creased arterial action having existed short-"ly before death."* Interdum ossificationes meningium, concretiones polyporum, hydatides, tumores deteguntur.

* Thomas Pract. of Physic, p. 342.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Causæ quae proclivitatem dant ad hunc morbum sunt variae. Formatio corporis peculiaris, caput magnum, collum breve, latitudo inter humeros: Senectus. Hippocrates apoplexias esse frequentiores inter annum quadragesimum et sexagesimum affirmat: tamen saepe ad alia tempora vitae, occurrunt; calor; habitus corporis plenus; frigus; vita sedentaria; modus vivendi luxuriosus; intemperantia frequens; cibi aviditas; cessatio detractionis solitae humorum.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Hae sunt multae; affectiones animi prae cipue ira; Aritaeus affirmat perturbationes animi immodicas; consternationem; metum; spei abjectionem; in pueris terrorem; gaudium subitum, et risum vehementem apoplex-

iam excitavisse.* Non manifestum quomodo affectiones deprimentes apoplexiam inducunt; fere tamen affectiones excitantes sangui ad caput propellunt. Ebrietas et voracitas non modo causae praedisponentes sed etiam excitantes sunt. M. PORTAL casus hujus generis narrat;† et quoque affirmat, apoplexiam frequentiorem fuisse, Parisiis, eo tempore, quo coenam amplam homines sumere solerent; et putat procliviores esse somno quam vigilio.

Insolatio; Doctor THOMAS haec verba habet; "The coup de soleil, or stroke of the "sun, which so frequently occurs in warm "climates, to those who are long exposed to "its immediate influence, seems evidently to "be an attack of apoplexy."‡

Ligaturae circa collum. Doctore DONALDO MONRO dicitur, mortem militum interdum in-

* Vide COOKE, Vol. I. p. 212.

† Portal sur L'Apoplexie, p. 32.

‡ THOMAS, p. 253.

ducere linteolis caesitiis nimis arctis ; et Kortum casum narrat, in quo praefectus volens milites suos habere vultus bonos, imperavit, linteola caesitia valde stricta induere ; quo contigit, post paucos annos dimidum legionis mortuum fuisse.*

Frigus intensum corpori applicatum. Doctor COOKE ait, non habemus consilia bona affirmare frigus per apoplexiam mortem inducere.† Inhalatio vaporum antimonii, plumbi, hydrargyri, atque similium ; opium, alkohol, hunc morbum excitant. De modo operandi harum rerum medici non assentiunt. Tantum quod BRODIE dicit de alkohole annotamus, mirabile est, " there is a striking " analogy between the symptoms arising from " spirits taken internally, and those produced " by injuries of the brain."

Inspiratio diutina, exercitatio corporis vio-

---

* Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. XIV. p. 572.

† COOKE Vol. I. p. 226.

lenta, et tumores in collo siti; quoque causae habentur.

DE DIAGNOSI.

Apoplexia his morbis distinguenda est; quibus fortasse similis.--*Epilepsia.* In hoc morbo Doctor Parry* affirmat paroxysmum ex-excitari impetu sanguinis in cerebrum, qui item fortasse in apoplexia occurrit: sed medici opinio formatur ab historia morbi: In apoplexia convulsiones violentae absunt, quae apparent in paroxysmo epilepsiae. Haec inter juvenes, illa inter senes praevalet; paroxysmus hujus brevior est paroxysmo illius. In apoplexia oculi semiclausi sunt, in epilepsia prominentes.

Paralysis.—Ab hoc morbo his notis dignoscenda est, sensus tantummodo minuti in pa-

---

* Parry's Elements of Pathol. and Therapeut. Vol. I. p. 307.

ralysi, et non omnino abrupti, pulsus mollis, et stertor respirationis non adest.

Hysteria.—In foeminis plethoricis medicus fortasse non facile distinguere potest, alterum morbum ab altero. In hysteria tamen, globus hystericus, respiratio accelerata, aegra nunc ridens, nunc lachrymans, suspiratio, vociferatio, artus contorti, hysteriam notant.

Ebrietas.—Halitus aegri, odorem liquoris spirituosi, habet; pulsui non est impetus, ut in apoplexia; stimulis admotis attentionem hominis excitemus; historia casus quoque observanda.

DE PROGNOSI.

Prognosis certe fausta est, si aegrotans adolescens, si modus vivendi pristinus moderatus fuit, symptomata non violentissima; perspiratio moderata, et eodem tempore, quoque calida, pulsus naturalior, sensus reditus.

Contra, si aeger sit senex ; si habitus corporis depravatus, modus vivendi pristinus parum idoneus ; absentia motus sensusque pro longo tempore perstant ; spumat ore, (ut quidam affirmant,) prognosis infausta. Doctor COOKE ait, " I never knew a person recover from " apoplexy when the pupil was greatly con- " tracted."* Auctoribus quibusdam dilatatio pupillae quoque notatur.† Causa morbi quoque juvat fortasse medicum judicare de terminatione ejus. " En general," ait PORTAL, " l'Apoplexie dont la cause reside immediate- " ment, dans le cerveau, ou elle qui est idio- " pathique, est la plus grave, et presque tou- " jours mortelle." ‡ Interdum terminatur sponte, per epistaxin, diarrhoeam, eruptionem cutis, paroxysmum podagrae, accessionem evacuationis solitae, per febrem, " et chez de " femmes grosses par l'accouchement."§

---

* COOKE, Vol. I. p. 280. † Idem.

‡ PORTAL sur L'Apoplexie, p. 405.

§ PORTAL, p. 407.

DE RATIONE MEDENDI.

De sanguinis missione. Missio sanguinis remedium antiquissimum. Ab Hippocrate et medicis antiquis Graecis, adhibebatur; et Celsus ita loquitur, "Post sanguinis missionem, si non redit et motus et mens, nihil spei superest."* Sine dubio remedium momenti magni in hoc morbo, et ad primam accessionem liberrime utendum est. Octodecim vel viginti unciae primo detrahendae sunt, et per incisionem magnam. Doctor Cheyne ait, "that from six to eight pounds "of blood have been taken from a person by "no means robust, before the disease which "ended favourably began to yield."†

Sanguis ex brachio, arteria temporali, vena

* Celsus, p. 117.

† Abercrombie in Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. XV. p. 27.

jugulari externa, abstrahitur, sed quoties jugulari vena, cavendum est, ne ligaturae applicentur, ut in casibus quibusdam. M. Portal ita dicit, "Les chirurgiens pratiquent "d'ailleurs tous les jours la saignée a la ju-"gulaire externe, le plus facilement, sans la "comprimer par aucune ligature."*

Doctor Abercrombie putat connexionem hujus venae cum cerebro nimis disjunctam esse, et beneficium majus derivatur sectione arteriae temporalis.† Magis commodum est quoque sano latere sanguinem abstrahere quam ab illo, quo convulsiones adsunt. Aretaeus, Valsalva, et Morgagni hanc doctrinam sustinent, sed "Baglivi recommends "bleeding from the diseased side, except "where blood is abstracted locally."‡ M. Dejean professor scientiae medicinae à Caen incidere sinum longitudinalem superiorem pro-

* Portal, p. 421.

† Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. XV. p. 26.

‡ Good's Study of Med. Vol. III. p. 614.

posuit, osse remoto.* Hirudines quoque applicari possunt, duodecim vel octodecim.

De Applicatione Frigoris.—Doctor ABERCROMBIE narrat exemplum puellae, quae ab apoplexia perfecta, fuit resuscitata, applicatione frigoris sola, et docet flumen amplum aquae frigidae versus caput dirigendum esse.†

De Catharticis.—Cathartica medicis antiquis usurpabantur. De his Doctor MURRAY sic loquitur, "From the serous evacuations, "which cathartics occasion, from the derivation which they make from the head, and "partly no doubt by removing a source of "irritation, they are of utility in preventing "and removing apoplexy."‡

Sulphas sodae, et magnesiae, scammonia, submurias hydrargyri et alia sunt utilia. Sub-

---

* PORTAL, p. 303.

† Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. XV. p. 27.

‡ MURRAY'S Mat. Med. Vol. I. p. 349.

murias hydrargyri adhibebatur a Dolaeo etiam ad salivationem. Putavit, beneficium ortum esse promovendo evacuationes omnes. Enemata injicienda si aeger deglutitionem amisit.

Emplastra vesicatoria, nuchae, capiti, extremitatibus inferioribus et superioribus, vel cataplasmata sinapis applicanda sunt.

De Emeticis.—In hoc morbo illa remedia cum maxima cura adhibenda; utiliora sunt in his casibus quibus alimentum nimium in ventriculo restat; ea quorum effectus non violentus, qualia ipecacuanha, vinum ipecacuanhae, et pulvis sinapis albae in aqua solutus.

In apoplexia serosa, (si hic morbus vere existat,) ratio medendi haud absimilis est illi, qua apoplexiam sanguineam curamus.

Missio sanguinis, sed eadem quantitas non debet abstrahi, quae in alia varietate. Cathar-

---

* Vide Good, Vol. III. p. 616.

tica quoque utilia sunt, et setacea in nucha imposita.

Cum apoplexia oritur ebrietate, quantitate magna opii, et substantiis similibus, emetica debent adhiberi, qualia sulphas cupri, sulphas zinci, et quoque fortasse murias sodae in aqua solutus. Nunc pauca loquemur de rebus observandis, quarum usu, homines hunc morbum effugiant. Oportet aegrum animum placidum habere, omnes effectus excitantes vel deprimentes sunt perniciosi. Non debet indulgere inclinationem ad literas nimis. Somno caput debet levari, sed somnum longo tempore non commodum est. Moderatio vivendi in omni re observanda est. Ebrietas et voracitas sunt periculosae, et omnia cujusque generis quae tendunt corpus reddere plenum, caute administranda. Doctor MOSMAN affirmat * hanc conditionem corporis facilius produci, nutrimento liquido quam solido. Seta-

* THOMAS' Pract. of Physic, p. 252.

cea inter humeros, vel in nucha imposita, sunt utilia. Constipationis absentia, ligaturae nullae circa collum, corpus nunquam objectum vel frigori vel calori magno, exercitatio corporis sed non violentissima, quoque sunt remedia prophylactica.

FINIS.

Excudebat Joannes Moir, 1826.